

SÆCULARIS AC REGULARIS CLERI

VINDICATIO:

AC PRO FELICI CATHOLICI REGIS NOSTRI

FERDINANDI VII REDITU

GENERALIS HISPANIAE CONGRATULATIO.

POEMA ELEGIACUM.

AUCTORE

R. P. ISIDORO DE CELIS,  
Congreg. hispanæ CC. RR. Ministrantium In-  
firmis Lect. emerito, Arbitro et Secretario  
Generali.



MATRITI.

TYPIS MICHAELIS A BURGOS.

MDCCXIV

HTCA

U/Bc LEG 12-1 n°954



1>0 0 0 0 4 7 8 7 4 5

UVIA. BHSC. LEG.12-1 n°0954

Quem natura dedit Regi, rapuitque tyrannus,  
Restituit nostro natio fida thronum.  
Corsus et hispanus, quanto discrimine distant!  
Sustulit ille dolo, rettulit iste fide.  
Perfidiamque fides armatam vicit inermis:  
Nec mirum; illa stygis est opus, ista Dei.  
Discite mortales, quid cælo auctore valemus:  
Hispanisque omnes Numen inesse sciant.  
Id superest unum, si quos concordia servat,  
Hostilesque acies exuperare dedit;  
Non fera rixa trahat studia in contraria cives,  
Inque vicem scissi digladiemur, agat.  
Civibus in cives dum sensim bella ciemus,  
Hostibus arma damus plus metuenda suis.  
Credite, victor erit tali in certamine victus:  
Patria namque suo cive ruente ruit.  
Hactenus in verbis dissensio tota moratur;  
Ast armare solet lingua cruenta manum.  
Certatur verbis; verborum sensa notemus:  
Fors erit ut cesset litis origo suæ.  
Insurgit liber, succlamat servus: et inde  
Nomine se præfert alteruterque suo.  
In se configunt sævus velut hostis in hostem;  
Alter in alterius nomen et omen agit.

\*

Verum quid liber, quid servus denique jactat?  
 Quid damnat strepitans ille, quid iste probat?  
 Nam si a lege velit censeri liber, iniquus  
     Est liber; nam lex nostraque nosque ligat.  
 Dumque sua credat se libertate tueri,  
     Ut putet impuni cuncta licere sibi;  
 Impius imperium ridens hominumque Deique,  
     Omnia sic legum vincula vimque negat.  
 Nec leges, nec jura; jugum servile tyranni  
     Execror, ad libitum qui sine lege regat.  
 Legibus ergo cupis submissus vivere justis;  
     Et tua libertas sic tibi salva manet.  
 Servus liber eris parendo legibus ergo:  
     Quod servus pares, et quia liber agis.  
 Libertas etenim, de qua lis nostra movetur,  
     Illa est, peccati quæ rea non sit agens.  
 Iungite jam dextras, et amico vivite pacto:  
     Servus erit liber, isteque servus erit.  
 Invenies siquidem servili ex agmine nullum,  
     Ius æquum imponi qui sibi nolit idem.

Si annuitis votis, si mens est omnibus una;  
     Vexillum pariter par sit utriusque sacrum.  
 Esto sacer codex legis veterisque novæque,  
     Qui sensus animi, verbaque et acta regat.  
 Religionem igitur Christi profitebimus, unam  
     Quam simul ut veram patria jura colunt.  
 Hæc vice matris erit: matri referamus honorem;  
     Pareat et jussis mens quoquè nostra suis.  
 Numinis interpres fallique et fallere nescit,  
     Utpote quæ a vero Numine docta docet.

Illa ducem summum, sacros habet illa ministros,  
 Qui divis adsunt, invigilantque gregi.  
 Hos Deus instituit, sicque insignivit honore,  
 Quo nulli in terris major inesse potest.  
 Addo nec in cælis: mysteria sancta celebrant;  
 Tractandum manibus se dedit ipse suis.  
 Hosque docere jubet, cunctisque ostendere, quisque  
 Quid debet reliquis, quid sibi, quidve Deo.  
 Inque potestatis partem vocat ille; sodales  
 Efficit imperii, participesque sui.  
 Iusque dedit terris aperire et claudere cælum:  
 Nam quæ decernunt, hæc rata Numen habet.  
 Pacificique inter Numen populumque sequestri  
 Iratum placant, conciliantque Deum.  
 Iussa docent, monitisque urgent gravioribus omnes,  
 Quilibet ut partes expleat usque suas.  
 Quosque vovent diris, diris quoquè devovet illos;  
 Segregat ut putridas a grege pastor oves.  
 Tangere eos vetuit: quidquid peccatur in illos,  
 Has velut offensas vindicat ille suas.  
 Omnibus invigilant, brevis hæc ut vita sit insonis,  
 Proutque licet felix, semper ut esse queat.  
 Hæc signata sacro profitemur dogmata libro,  
 Quos tenet in verà relligione fides.  
 Hæc jubet hispanos hispanus credere codex;  
 Perfidus, his contrà quisquis obesset, erit.  
 Qui sacra multiplici tot munera munere præstant,  
 Fas erit ut dignè retribuatur eis.  
 Quos melius de se meritos respublica novit?  
 Emolumenta illi quis potiora tulit?  
 Si datur officiis merces civilibus æqua;  
 Quis neget hanc sacris pro ratione sui?

Inde sibi decimas Ecclesia solvere jussit:  
 Christicolæque ferunt utile legis onus.  
 Nam Deus hebræis si cum sanxisset easdem,  
     Pro decimis longè plura spopondit eis:  
 Quid sibi non sperent illi pro rite solutis?  
     Lex nova pejoris conditionis erit?  
 Has decimas, et mente pari quæcumque dicantur,  
     Ceu sacrata sibi vindicat ipse Deus.  
 Inde capit quisquis retinetve hæc dona profanus,  
     Est quasi sacrilegus, quod sibi sacra legit.  
 Et Deus et Cæsar capiant bona jure; suasque  
     Cæsar opes habeat, sint sua dona Deo.  
 Insimus ex populo jus in sua rite tuetur,  
     Quem nisi latro bonis expoliare nequit.  
 Cur non saltèm æquali Ecclesia jure fruatur,  
     Et sua non sua jam, sed capientis erunt?  
 Qui putet his gazis ditescere, facta probarunt,  
     Quò magis accipiat, possidet ille minus.  
 Nam secum maledicta ferunt, quæ cuncta perurunt:  
     Et solvuntur opes, solvit ut unda salem.  
 Quo bona plura sibi sacrorum vindicat anglus,  
     Hoc magis indiguit, pauperiorque fuit.  
 Galliaque invadens pariter sacra cuncta, papyrus  
     Nummum pro nummo deficiente creat.  
 Extera quid memoro? Nobis exempla supersunt  
     Patria; quamquam alio sint bona capta modo.

Quid, censor, te dicta movent? Mutire quid audes?  
     Hæc, hæc sunt solis lucidiora face.  
 Si veri te tangit honor, tibi consule victo:  
     Desine sarcasmos, nec maledicta vomas.

Ne in sacros pergas Christi garrire ministros:  
 Neu quasi turpe suas objice crimen opes.  
 Numinis ecce vices præstant; treme Numinis iram:  
 Nam sacra qui lædit, nullus inultus abit.  
 Divitias habeant; sed sunt sibi rite paratæ:  
 Officiis merces debita cuique suis.  
 Expendet quis eas melius, sacer anne profanus?  
 Responsum viduis, pauperibusque petas.  
 Nec patriæ desunt; imò quis largius unquam  
 Lite sub hac belli suppeditavit opes?  
 Plurima dent alii; illi multò plura dederunt.  
 Omnia vis, ut hient intereantque fame?  
 Ut sua jura neges, quæ lex hispana fatetur,  
 Plus satis hos reliquis æquiparare fuit.

Ut tamen in clerum delires plurima, censor;  
 Desipis in monachos, invehirisque magis.  
 Nec tibi sunt cives, socio nec fœdere digni,  
 Nec pedibus patrium tangere dulce solum.  
 Hesperie, hispanos hispanis ejicis oris,  
 Exulibusque malum per mare poscis iter?  
 Scilicet intrusi superant tua vota tyranni:  
 Improbus hic, verùm mitior ille fuit.  
 Ista laborantes patriæ pro lite tuendà,  
 Hæc regni athletas præmia digna manent!  
 Ecquis enim patrios animos ardentius unquam  
 Cepit, et exemplis foverit, ore, manu?  
 Quis lacrymas fudit macilenta per ora volutas,  
 Sulcantesque suas imbre cadente genas?  
 Plura quis afflito suspiria pectore duxit,  
 Clade die mœstus, nocte dolore vigil?

Siquis somnus forte; gravat, non recreat artus:

Forma subit patriæ flentis, et ipse gemit.

Territus evigilat, visaque ab imagine languet:

Illeque ad ærumnas in sua damna redit.

Quis regni sortem, casusque ita sensit acerbos,

Optavitque armis prælia fausta suis?

Quisve Deum superosque omnes intensius orat,

Ut tandem doleant, et mala nostra levent?

Arma tonas fortasse, et rides vota; sed istud

Esse Dei dubitas omnipotentis opus?

Moses et populus pugnant non viribus æquis:

Iste quidem gladio, fortius ille prece.

Arma ruunt, si vota cadunt: prece fervida et armis

Alteruterque suo victor ab hoste redit.

Acta sacro patriæ pro libertate furore

Nunc bona pars precibus junxit et arma suis.

Hinc bene de patria meritos habet Hispalis omnes:

Hispalis, hispanis quæ modò jura dabat.

Ast ita deflagras odio crudelis et ira,

Ut sua non rabiem sors miseranda premat.

Quocum delecteris, habes sati: eja furorem

Pasce suis, censor, lumina pasce malis.

Ecce vides propriis exutos vestibus illos,

Sedibus ejectos vi minitante suis.

Ecce vides uti insuetà sibi veste coactos;

Ast ea, queis emerent hanc, rapuere prius.

Pannososque vides vix ausos tollere vultum,

Frigore torpentes, invalidosque fame:

Ante lares, alio jam possesore, petitam

Non accepturos ore rogare stipem:

Et plures obiisse situ ærumnisque necatos:  
 (Extinctos olim patria fleret eos).  
 Multa vides, sed plura latent quæ pectora torquent,  
 Externisque magis collacrymanda malis.  
 Dum nostros inimicus agros possedit et urbes,  
 Nil mirum duro dura sub hoste pati.  
 Impius ille fuit, quid non sacrata timerent?  
 Namque odio semper sacrâ profanus habet.  
 Sed graviora pati, dum patria libera regnat,  
 Hostibus expulsis, mens pia ferre nequit.  
 Protinus ut galli belloque metuque fugati  
 Hoc regale prius desseruere solum;  
 Ad cælum monachi palmas et lumina tollunt,  
 In laudesque ruunt Numinis, inque preces.  
 Lætitiæ dant signa suæ: gratantur ovantes,  
 Alternisque canunt, patria vivat, io.  
 Dilectas juvat ire domos vi et crimine raptas:  
 Claustra videre sibi restituenda juvat.  
 Infelix quò, turba, tulit te plausus inanis?  
 Ploratura magis quid cohibus lacrynas?  
 Externi castris hostes abidere relictis;  
 Civica sed remanet gens inimica tibi.  
 Quisque ablata capit mandato judicis; imò,  
 Quin jubeat judex, in sua jura redit.  
 Unicus hac monachus naturæ lege vetatur,  
 Privatusque suis perstat ut antè bonis.  
 Scilicet abnuitur, sacri queis dia potestas,  
 Quod vel præconi, carnificique datur.  
 Non satîs hæc: hostes quæ partim diruta linquunt,  
 Eripiunt patrii, diripiuntque sibi.  
 Sorte sub hac rerum gallos rediisse putares  
 Ad consummandum perditionis opus.

Non satis hæc fuerant: verbis scriptisque lacesunt,  
 Quos decuit saltèm relligionis honor.  
 Cuncta datâ preli quasi libertate licerent;  
 Sed data libertas æqua an iniqua fuit?  
 Non nisi civilis ratione fideque regenda,  
 Quamque boni mores relligioque probent.  
 Irrisque silent: si fors patientia lenit,  
 Quos tenet ira ferox; vim tamen ira capit.  
 Ne furor increscat, propriâ uti veste nec audent:  
 Ista quoquè evadit cautio vana sibi.  
 Lege magistratus convitia sparsa libellis  
 Corrigat: hic perstat mutus, et illa silet.

Me siluisse pudet: læso sit copia fandi:  
 Flagito jus summum, justitiamque voco.  
 Nil peto non proprium: posco mihi jure paratum:  
 Postulo possesum, lege favente, diu.  
 Ius mihi legitimum est, quantum vix ullus habebit,  
 In mea: non domini sunt sua jure sui?  
 Si bona displiceant vinclis religata, fac omnes  
 Vendere dehinc possint, sed sua, cùmque velint.  
 Integra sint quædam, sint quædam diruta tandem,  
 Hæc mea sunt: fuerint quomodocumque, peto.  
 Rapta mihi fuerant: latro fugit; illa reliquit  
 Non aliis, sed erunt omnia, cuius erant.  
 Arguitur furti quisquis sibi vindicet ista,  
 Ceu quoquè fur fuerat, qui prior illa rapit.  
 Est sacra proprietas patriis sub legibus: illam  
 Et servare jubent, et violare vetant.  
 Relligiosa domus cum sacris ædibus ergo,  
 Cætera sunt domino restituenda suo.

En mea tecta: mihi bona propria sunt hæc:

Ista resumo, domos ingrediorque meas.

Siste gradum, cohibeque manum, ne propria tangas.

Est crimen quod obest: relligiosus eras.

Proh superi! scelus est immane professio sancta,

Quæque Deo strictè me sacra vota ligant!

Me siquidem privant, quo cætera crimina nullum;

En sua detractor, fur et adulter habent.

Dic tamen, unde mihi venit hæc jactura bonorum?

Me quis eà judex multat, agitque reum?

Lege sub hispanà solemnia vota professos,

Inque fide patriæ patria jura tegunt.

Legibus hispanis sisus, quod rite probarunt,

Institui hoc vitæ lustra per octo genus.

Ergo datam fallendo fidem me patria fallit:

Deficeretque sibi, deficeretque mihi.

Sed meliora Deus; non illam culpo, nec ausim

Huic dare, nonnulli quod peperere, malum.

Hos ego rejicio, et concessò jure recuso:

Judicis hostis enim munus obire nequit.

Appello patriam, Regem, patriæque parentem:

Iste mihi pater est, illaque mater erit.

A patre nil timeo, matris pia pectora novi:

Judicis ille vices, ista rogantis agat.

Non peto quid gratis, nullumque imploro favorem:

Præsideant causæ jura severa meæ.

Iudicet alteruter: insons et utriusque fidelis,

Cur metuam poenam non secùs atque reus?

Cui esse bono possunt monachi, contrarius urges?

Cælebs vita nocet ceu sine fruge solum.

Distribuantur opes , quibus hi potiuntur inertes:

Patrja , civis inops , miles , arator eget.

Fœcundas fœcundus eas facit usque per omnes

Ire manus : quantum provenit inde bonum !

Ditescunt populi : connubia plura parantur:

Civibus urbs , vicus ruricolisque scatet.

Quale evangelium amisi , si legifer essemus !

Sed prior id docuit , constituitque Deus.

Hic ibi præcepit cælestia quærere primùm,

Cætera promittens adjicienda fore.

Ille pudicitiam thalamicis ibi prætulit : ille

Scit quid erat populis utile , quidve nocent.

Est Veneris cælebs , cælebsque pudoris amore.

Hic juvat exemplis , ut nocet ille suis.

Ordinibus sacris causam dedit ille monendo,

Quos scimus sanctos instituisse viros.

Hos priùs excusso Ecclesia sancta probavit.

Christi igitur monitis , consiliisque quadrant.

Publica diffusa est vivendi hæc forma per orbem,

Cui dites fructus utilitate tulit.

Ornavit genus hoc hominum sapientia , virtus,

Tanquam stemma duplex , omnis origo boni.

Pace datâ fidei , reliqui tepuere , sed illi

Virtutis studio concaluere magis.

Artibus indixit bellum ignorantia : contrâ

Ni monachi starent , has periisse vides.

Invaluere mali mores : pars magna tepescit,

Magna sed ex illis intemerata fuit.

Deme sacris precibus monachos , altaribus aufer:

Ecce tibi sancti vix in utrisque manent.

Subtrahe eos græcis doctoribus atque latinis:

Si excipis Ambrosium , non super ullus erit.

Scripta fac illorum rebus super omnibus absint;  
 Quantum jactura haec illacrymanda foret!  
 Tempore laxatos mores mihi forte reponis:  
 Pars magna, adde, tamen religione viget.  
 Illa vices censoris agat, reliquosque reformat:  
 Non est qui hoc melius munus obire queat.  
 Sed tibi si constas, placeat correctio morum,  
 Ne tamen hos extra claustra manere velis.  
 Redde domos redditusque suos, queis vivere possint.  
 Ut decet; et solvant sic sua vota Deo.  
 Dum sinis hos durâ sub conditione vagantes,  
 Ut sibi mendicent nocte dieque cibum:  
 Vis potius miseros vitiari aut velle videris:  
 Ah! nocet exemplis mundus ubique suis!  
 Hispani quantum mutantur tempore mores!  
 Galli absunt, sed enim gallica pestis adest.  
 Pullulat infestae doctrinæ semen in horas:  
 Fructus amaritatem seminis inde trahit.  
 Moribus et purâ dum religione vigebant  
     Hesperii, monachus summo in honore fuit.  
 Nunc sordet nomen, vestisque vel ipsa, perinde  
     Ac vitæ ratio despicienda foret.  
 In fundatores sanctos haec probra redundant:  
     Despicis auctorem, sicuti temnis opus.  
 In tot Pontifices cadit haec censura supremos,  
     A quibus haec vitæ forma probata fuit.  
 Imò novæ legis latorem lædit Iesum:  
     Utpote qui monitis suasit et ille suis.  
 Degeneres noli rursus prætendere mores:  
     Omnibus illudis quomodocumque probis.  
 Sint quamvis ut nuper erant, respublica ab illis  
     Vel sic servatis commoda multa capit.

Ægrotus patitur ? Monachus solamina præstet:

Exspirat ? Votis auxilietur ei.

Dissidet uxori conjux, uxorve marito ?

Discordes animos conciliando juget.

Grassatur violenta fames, furit horrida pestis:

Bellave devstant oppida, rura, viros ?

Iejunet, precibusque vacet, superosque fatiget,

Iratum ut flectant in sua vota Deum.

Turpantur mores ? Monachus, qui jussus ubique

Increpet, hortetur, corrigat, instet, erit.

Omnibus inservit tamquam foret omnibus ortus:

Et sua quæ merces ? Vestis et esca : sat est.

Sed quid plura moror ? Dicendi finis abesset,

Scribere si vellem, quæ referenda forent.

Rebus in adversis pars maxima contigit illi;

Attamen in faustis pars sibi nulla fuit.

Non ita dum sospes, Rex optatissime Regum,

Numinis auspiciis in tua regna redis.

Pro reditu gaudens Hispania fausta secundo,

Lætitiæ motus vix capit ipsa suos.

Orba parente pios ducebat pectore questus:

Redditus es salvus, gaudia captat ovans.

Hactenus obductum quasi cælum regia sedes:

Sol oritur, solis lumine cuncta micant.

Dedecet ornatus regalis Rege remoto:

Rex ades, et meritò regia signa vides.

Festa dies qua nulla fuit festivior unquam,

Ex quo dives agit noster Iberus aquas.

Desinat augustos Roma ostentare triumphos,

Laurigerosque duces, introitùsque decus.

Pompa decet major , plures debentur honores,

Gloria proposito nostra sit æqua suo.

Agmen ibi vincens celebratur ; natio tota

Militat hic, vincit: tota triumphat , io.

Tota triumphali curru ducenda per urbes

Esset , ne meritus cuique deesset honor.

Ut sit spectator , duplex hic ordo sit ; iste

Victoris partes , is celebrantis agat.

Vix dum certa satis vulgavit fama per urbes:

Hesperiam augusto Rex pède tangit humum:

Obvia adesse viis Hispania tota videtur,

Ut reduci applaudens plaudat et ipsa sibi.

Ecce jugo excusso captum captiva reducit:

Et vice gratatur liber uterque suā.

Exhilarant plausus ea patria cantica , cunctis

Grata , sed externis non modulanda tonis.

Virgineique chori , pueri , juvenesque senesque

Consona multiplici carmina voce canunt.

Gaudia testatis resonat concentibus aer,

Omnigenosque refert , quā valet arte , sonos.

Talibus auspiciis urbes Rex intrat iberas:

Quælibet obsequiis eminuisse velit.

Hic honor introitūs , decus hoc , et imago triumphi,

Sed levis , inferior , promeritisque minor.

Perfide , si quis adēs , pete , narra visa tyranno:

Hæc saltēm paucis multa referre potes.

Lugubri posito , quem Hispania sumpsit , amictu

Fratriis in adventu , veste superba nitet.

Ingreditur frater urbes sīne civibus : illum

Ne invisum aspicerent , se occuluere domi:

Sive petunt sylvas , caveasque vel antra ferarum,

Anteferuntque vagi se sociare feris.

Rege tamen redeunte suo vix oppida cernes:

Non nisi complaudens undique civis erat.

Natio tum exosum veluti vi passa tyrannum

Talis erat; tenerum nunc quasi nacta patrem.

Me decet extremo gratari carmine Regi,

Tam bene dilecto quam mea vita mihi.

Optima spes patriæ, salve: te sospite salvi

Nos sumus: hispani Rege valente valent.

Prodigo similis redditus tuus iste videtur,

Vixque sibi tribuunt lumina nostra fidem.

Sunt tibi præsidio Superi: tibi militat æther,

Hispanisque tuis vincere Marte dedit.

Cælitibus grates: pro te portenta videmus,

Attonitosque omnes sors inopina tenet.

Quid sibi vult cælum tantà vertigine rerum?

Te Deus in magnum quale reservat opus?

Ah! nimis est quod agas: feliciter omnia vertent,

Dummodo relligio sit tibi cura prior.

Relligio, quæ multa gemit, mœstissima vultu,

In tua, Rex, oculos lumina versa suos.

Macte animis, operis tantà ne mole graveris:

Namque favente Deo, quod valet ipse, potes.

Is dabit ut regni possis sarcire ruinas:

Est tua causa Dei, si sua causa tua est.

Inclyte Protector fidei, cognominis imple

Munus, et in terris Numinis instar eris.

Te gere ad exemplar, quem præfers nomine, Regis,

Qualem pars mundi vix habet ulla parem.

Rex etiam tantum Regem virtutibus æqua,

Ut par te maneat gloria, fama, decus.